

DE

AESCULAPII CULTV

A ROMANIS ADSCITO

DISSERTATIO,

QVAM SCRIPSIT

DR. ANTONIVS SCHLVETER,

IN GYMNASIO ARNSBERGENSI SVPERIORVM ORDINVM PRAECEPTOR.

MONASTERII, MDCCCXXXIII.

EX TYPOGRAPHIA COPPENRATHIANA.



ANNEE VII ABIL CIVTY

...MONTIS ADIUTO

DISPUTATIO

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Cap. I.

Inter viros doctos, quibus Graecorum atque Romanorum antiquitatem accuratius cognoscere est curae, haec ante ceteras sententia pervulgata est et satis munita, apud Romanos religionis, artium, culturae, omnis generis scientiarum, legum, institutorum originem, si non unice, at certe potissimum a Graecis esse petendam. Hoc loco in eo mihi videor posse acquiescere, ut paucissima de deorum Graecorum cultu ad Romanos translato verba faciam, et quidem, ne iustos egrediar fines, eam quaestionem mittens, quae in indagandis versatur causis, propter quas inde ab antiquissimis temporibus Romani in rebus divinis ad Graecorum exempla praecipue se applicuerint, statim ad reipublicae tempora post reges expulsos transgredior, moniturus, aut bello atque in eo victoria dubia aut morbo aliquo periculoso saepissime Romanos esse adductos, ut ex aliis terris deos sibi novos assumerent. Quod vero ad Graecam prius, quam ad aliam aliquam gentem oculos converterint, eius rei plures forsitan causas fuisse haud negandum; hanc autem non praetermittendam censeo, quod libri Sibyllini, quos in rebus anxii atque angusti consultos esse a Romanis constat, Graecorum

religionem et cultum etiam atque etiam commendabant¹⁾. — Aliqua ad probandam hanc sententiam exempla liceat afferre. — Anno a. Chr. n. 430, tribunis plebis e gente patricia tribus, M. Fab. Vibullano, M. Foslio, L. Serg. Fidenate, pestilentiae causa Apollini aedes vota est: multa, Livius (IV, 25.) pergit, *Duumviri ex libris*²⁾ placandae deum irae, avertendaeque a populo pestis causa fecere. Anno a. Chr. 446, L. Valerio et M. Horatio Coss., Apollinis cultum apud Romanos vere fuisse, Livius significat l. III. c. 63. — Pestilentia rursus anno a. Chr. 396 causa fuit, ut, libris Sibyllinis ex senatusconsulto aditis, *Duumviri sacris faciundis lectisternio tunc primum in urbe Romana facto per dies octo Apollinem Latonamque et Dianam, Herculem, Mercurium atque Neptunum tribus, quam amplissime tum apparari poterat, stratis lectis placarent.* (Livius V, 13.). — Bello Punico secundo, eo tempore, quo Hannibal in infima Italia commorabatur (vid. Liv. XXV, 11), a. Chr. 212, duo Marcii carmina prolata sunt, quorum alterum his verbis incipit: *Hostem, Romani, si expellere vultis, vomitamque, quae gentium venit longe, Apollini vovendos censeo ludos, qui quotannis comiter Apollini fiant; cett.* Deinde Livius (XXV, 12.) his verbis pergit: *Postero die senatusconsultum factum est, ut Decemviri libros de ludis Apollini reque divina faciunda inspicerent. Ea quum inspecta relataque ad senatum essent, censuerunt Patres: Apollini ludos vovendos faciendosque: et quando ludi facti essent, duodecim millia aeris Praetori ad rem divinam et duas hostias maiores danda. — Alterum senatusconsultum factum est, ut Decemviri sacra Graeco ritu facerent, iisque hostiis: Apollini bove aurato et ca-*

¹⁾ Hos libros olim Tarquinio Prisco a muliere quadam senili oblatos, custodiendis iis atque iusto tempore consulendis Duumviros, deinde Decemviros, denique Quindecimviros publice constitutos esse, notissimum. Vid. Dionys. Halic. lib. IV, qui ipsas consulendorum librorum varias occasiones enumerat. — Cf. Aul. Gell. N. A. I, 19, qui rem de Tarquinio Superbo narrat.

²⁾ Non esse dubitandum, quin libri Sibyllini intelligendi sint, infra (cap. II. n. 4) ostendam.

pris duabus albis auratis, Latonae bove aurata. — — — — Haec est origo ludorum Apollinarium, victoriae, non valetudinis ergo, ut plerique rentur, votorum factorumque. Totum locum exscripsi, quo sententiam, quam supra de Graecorum cultu deorum, aut belli, aut pestiferi alicuius morbi causa saepius assumpto protuli, aliquo modo comprobarem. — Ad pestem vero sedandam et librorum monitu adductos Romanos deos peregre accessitos in numinum sibi colendorum posuisse numero, illa matris Idaeae Pessinunte, Phrygiae oppido, Romam deportatio (a. Chr. 205) pro novo eoque insigni nobis exemplo potest esse. Livii narratio, quam libri XXIV capite XI et XIV legimus, longior est, quam quae apponenda mihi visa sit. Livii locum (l. II. c. 20), quo Postumium Dictatorem ad Regillum lacum olim (a. Chr. 497) acerrimo proelio Castori aedem vovisse tradit, quum is minus notatu dignus sit, verbo attingisse sufficiat.

C a p. II.

Hunc igitur, quem docui, morem Romani secuti, sub finem belli Samnitici, a. Chr. 292, quum pestilentia ureret simul urbem et agros, librorum Sibyllinorum, quos adierant, moniti responso, Aesculapii dei signum Epidaurum, urbe illa Peloponnesiaca, Romam deportavere. Iam vero id agam, ut in singulas res, quae ad Aesculapium adscitum³⁾ pertinent, accuratius inquiram.

Primum audiamus Valerium Maximum lib. I. cap. VIII. sect. II.:
Sed ut ceterorum quoque deorum (ante de Castore et Polluce loquutus erat) propensum huic urbi numen exsequamur, triennio continuo vexata pestilentia civitas

³⁾ Diis indigenis, domesticis, patriis opponuntur adsciti (Graecis ἐπιθετοί), eorumque sacra adscita vocantur. Vid. Ovid. Metam. XV, 625. et ibi interpretes.

nostra, cum finem tanti et tam diuturni mali neque divina misericordia neque humano auxilio imponi videret, cura sacerdotum, inspectis Sibyllinis libris, animadvertit, non aliter pristinam recuperari salubritatem posse, quam si ab Epidaurio Aesculapius esset accessitus. Itaque eo legatis missis, unicam fatalis remedii spem auctoritate sua, quae iam in terris erat amplissima, impetraturam se credidit. Neque eam opinio decepit. Pari namque studio petatum ac promissum est praesidium; e vestigioque Epidaurii Romanorum legatos in templum Aesculapii, quod ab eorum urbe quinque millibus passuum distat, perductos, ut quidquid inde salubre patriae laturos se existimassent, pro suo iure sumerent, benignissime invitaverunt. Quorum tam promptam indulgentiam numen ipsius dei subsecutum verba mortalium coelesti obsequio comprobavit. Siquidem is anguis, quem Epidaurii raro, sed nunquam sine magno eorum bono visum, in modum Aesculapii venerati fuerunt, per urbis celeberrimas partes mitibus oculis et leni tractu labi coepit, triduoque inter religiosam omnium admirationem conspectus, haud dubiam prae se appetitae clarioris sedis alacritatem ferens, ad triremem Romanam perrexit, paventibus inusitato spectaculo nautis, eo conscendit, ubi Q. Ogulnii legati tabernaculum erat, inque multiplicem orbem per summam quietem est convolutus. Tum legati, perinde atque exoptatae rei compotes, expleta gratiarum actione, cultu anguis a peritis accepto, lacti inde solverunt. Ac prosperam emensi navigationem, postquam Antium appulerunt, anguis, qui ubique in remigio remanserat, prolapsus in vestibulo aedis Aesculapii, myrto frequentibus ramis diffusae supereminens excelsae magnitudinis palmam circumdedit; perque tres dies, positus quibus vesci solebat, non sine magno metu legatorum, ne inde in triremem reverti nollet, Antiensis templi hospitio usus, urbi se nostrae advehendum restituit, atque in ripam Tiberis egressis legatis, in insulam, ubi templum dicatum est, transnavit: adventuque suo tempestatem, cui remedio quaesitus erat, dispulit.

Pestilentia, cuius contagiorum causa prohibendorum Aesculapius Romam translatus sit, per triennium Romanos laborasse, non alius, quantum ego comperire potui, scriptor Romanus testatur. Inspice Livium lib. X. cap. XLVII., et epitomen libri XI.; denique lib. XXIX. cap. XIX. init.;

Ovidii Metam. I. XV. v. 626 — 744; Orosium I. IV. c. XXII. Luc. Caec. Firm. Lactantius (divin. institut. II, 8) pestilentiam illam diuturnam vocat: *illud aequae mirum, quod luc saeviente Aesculapius Epidauro accitus urbem Romanam diuturna pestilentia liberasse perhibetur.*

Imo vero Livius, ipse Valerius Maximus, Orosius, Ovidius me adducunt, ut hanc coniecturam ad veritatem proxime accedere existimem, non ultra duorum spatium annorum pestilentia urbem Romanam esse afflictam. Livius enim I. X. c. XLVII., postquam eius anni, quo L. Papirius Cursor et Sp. Carvilius consulares tenuere fasces (a. Chr. 293), — vid. I. X. c. XXXVIII. et XXXIX. init. — res gestas ordine exposuit, et adeo anni proximi Consules iam nominavit, haec adiicit: *Multis rebus lactus annus vix ad solatium unius mali, pestilentiae urentis simul urbem atque agros suffecit; portentoque iam similis clades erat; et libri⁴⁾ aditi, quinam finis aut quod remedium eius mali ab Diis daretur. Inventum in libris, Aesculapium ab Epidauro Romam arcessendum. Neque eo anno, quia bello occupati consules erant, quidquam de ea re actum: praeterquam quod unum diem Aesculapio supplicatio habita est.* Quinto autem Fabio Maximo et D. Jun. Bruto Scaeva Coss., id est anno proximo (a. Chr. 292), missi sunt legati, ut Aesculapii signum Romam ab Epidauro transferrent. (Vide epitomen libri XI.) — Atque eodem, quo Aesculapius Romam devectus est, anno morbum esse sedatum, huius rei testes sunt nobis Valer. Maximus I. I., Orosius I. I., merito ille dubitans, an iste Aesculapii adventus pesti finem imposuerit, denique Ovidius Metam. XV, 743.

⁴⁾ Livius simpliciter libros aditos dicit; quum autem et Valerius Maximus et Orosius disertim a Romanis libros consultos esse Sibyllinos affirmant, nullo modo dubitari potest, quin Livius quoque de Sibyllinis libris cogitarit. Itaque haec res ceteris Livii locis lucem affert, in quibus uno verbo librorum in talibus rebus mentionem facit. Vide supra notam 2.

Sed non omnino negligenda sunt, quae Ovidius Metam. XV, 629. profert:

Funeribus fessi, postquam mortalia cernunt

Tentamenta nihil, nihil artes posse medentum,

Auxilium coeleste petunt, mediamque tenentes

Orbis humum Delphos adeunt, oracula Phoebi.

Inde ab antiquissimis reipublicae temporibus Delphos, responsorum Apollinis petendorum causa, adisse Romanos, historia docet. Iam Tarquinio Superbo regnante, quum (a. Chr. 532), quod portentum animum regis anxiiis implevit curis, ex columna lignea anguis elapsus esset, duo Tarquinius filii, comitante Iunio Bruto, oraculum consulturi Delphicum *per ignotas eo tempore terras, ignotiora maria*, in Graeciam descenderunt; quam rem Livius narrat l. I. c. LVI. — Anno a. Chr. 395, quum exercitu Romano Veios obsidente, lacum in Albano nemore sine ullis coelestibus aquis, cause qua alia, quae rem oraculo eximeret, in altitudinem insolitam crevisse, ducibus nunciatum esset, quidnam eo dii portenderent prodigio missi sciscitatum oratores ad Delphicum oraculum. (Vid. Livius V, 15.) — F. Camillus, haud multo post Dictator dictus, antequam Veios caperet: *Tuo ductu, inquit, Pythice Apollo, tuoque numine instinctus, pergo ad delendam urbem Veios, tibi que hinc decumam partem praedae voveo!* (Livius V, 21) — quae pars decima, ut uno verbo rem absolvam, Delphos portata est. (Livius V, 25.) — His reputatis non nemo forsitan inducatur, ut libros Sibyllinos Delphos quasi digito monstrasse atque Romanos ab Apolline iussos Epidaurum petisse credat. Verum longe pluribus hanc sententiam opinor arrisuram esse, Ovidium, ut poetae melius sustineret partes, suo Marte Romanos a deo Pythico esse monitos, finxisse, ad quam fictionem eo facilius adduci potuit, quum Aesculapius Apolline natus diceretur. Utut res se habet, Romani legati, (inter eos Q. Ogulnius, quem qui legationis principem fuisse putant,⁵⁾ forsitan rem acu tetigerunt.) Epidaurum profecti sunt,

⁵⁾ Freinshemius in expositione epitomes libri XI. historiarum Livii disertis verbis Q. Ogul-

— Graiosque patres adiere, darentque
Oravere Deum, qui praesens funera gentis
Finiat Ausoniae.

(Ovid. Metam. XV, 645.)

Nos vero legatos in urbem illam comitemur, ut inde Aesculapii ipsius atque oraculi eius accuratiorem petamus cognitionem.

C a p. III.

Totam circa Epidaurum urbem sitam regionem Aesculapio sacram fuisse, apud Pausaniam (II, 26.) legimus, quae res ipsa nos inducere possit, ut in Aesculapii cultum atque naturam inquisituri, Argivam adeamus terram. Hanc vero Pausanias ait esse causam, quare sacra sit Aesculapio illa regio. Venisse in Peloponnesum Phlegyan, (Thessaliae heroem inclytum, omnium sui temporis bellatorem acerrimum) visendae eius terrae simulato studio, re tamen ipsa, ut specularetur, quam frequens esset incolarum multitudine, quidque militaris aetatis atque roboris haberet. Quumque Peloponnesum intrasset, filiam (cui nomen Coronidis), quae patrem secuta sit, quum adhuc se utrum ex Apolline ferre patrem celasset, in Epidauriorum finibus puerum enixam, illum in monte exposuisse, cui ex eo tempore Tithionis (i. e. mamillae) nomen inditum est, quum antea Myrtium appellaretur. Exposito infanti lac praeuisse capram, quae cum ceteris in eo saltu paverit, canemque eum custodisse. Aresthanum, caprarium, quum capellam suam atque canem quaesitans saltum peragrasset, in puerum incidisse, quem

nium legationis principem facit, nescio cuius nisus auctoritate. Ceterum, teste Livio (X, 6.) Quintus et Cneius Ogulnii a. Chr. 300 tribuni plebis fuere, quorum alterutrum facile quis nostrum esse putet.

inventum quum tollere cuperet, effulsisse cœlestem ab illo ignem; quum autem hoc deterritus prodigio divinum quoddam id esse suspicatus sit, statim retrocessisse. Mox famam per terras ac maria omnia vulgasse, sanari ab illo quocunque affectos morbo, mortuosque excitari. (Vide Pausan. l. l.) Sed cavendum est, ne haec narratio in eum nos errorem inducat, Aesculapium vere patrium esse regionis Epidauriae deum. Equidem pro certissimo habeo, tibi que, lector, persuasum ibo, omnem illam fabulam ab Epidauriis esse compositam, qua Aesculapium aliunde arcessitum inter se κτήσιον esse comprobarent.

Aesculapii patriam investigantibus nobis a scriptoribus antiquis Thessalia indicatur. Hymnus Homericus XV. Dotium (promontorium illud in Macedonum Thessalorumque finibus situm) locum esse indicat, quo Aesculapius lucem primam conspexerit; idem affirmat Stephanus Byzant. v. Δωτία, quam, Elati filiam, promontorio nomen indidisse ait; de qua re ut aliquo modo dubitem, Apollodorus (III, 5. 5.) me adducit, cui Δωτίς Phlegyaë ex Marte mater appellatur. — Porphyrius apud Eusebium (praeparatio evangelica III, 14. pag. 124. edit. Francisci Vigeri Rotom.) Triccam, Thessaliae urbem, Aesculapii patriam esse dicit, idem quod tibi ex Homero (Iliad. II, 732) conicere liceat. Confer praeterea Strabonem lib. IX. cap. V. §. 10. et 20. (pag. 604. et pag. 637. edit. Siebenkees et Tzschucke.)

Verum nequaquam ab omni tempore Aesculapius apud Graecos pro deo est habitus; (quamquam Pausanias II, 27. contrariam sententiam profert). Namque ut homo Chironi centauro, Saturni filio, (Ovid. Metam. VI, 126) traditus est; a quo medendi artem doceretur. Pindarus (Pyth. III, 45. sq. ed. Boeckhii) canit:

Καὶ ἴα μιν Μάγνητι φέρον πόρε Κενταύρω διδάξαι

Πολυήμενος ἀνθρώποισιν ἰᾶσθαι νόσους.

Eandem rem Ovidius Metam. II, 630. sq. indicat. — In eodem illo, quod laudavi, carmine epinicio (v. 52. sq.) Pindarus varios recenset modos,

quibus Aesculapius morbo laborantibus sanitatem restituerit, eumque aut *μολακαῖς ἀοιδαῖς*,⁶⁾ aut potione, aut remediis externis, aut denique sectionibus fuisse usum ait. — Eo in exercenda arte sua processisse fertur, ut ipsis moribundis salutem redderet, et adeo morte iam ablatos in vitam revocaret: quod eum in Glauco, Minois filio (Hygin. fab. XLIX.) et in Capaneco et Tyndareo (Schol. Pind. ad l. l.) et in Hippolyto (Pausan. II, 27.) fecisse video. Quam rem quum Pluto moleste ferret, apud Iovem, nullos fere homines in regnum suum amplius venire, questus est; de quo iratus Iuppiter Aesculapium fulminis ictu cecidit. (Diodor. Sicul. IV, 190.) Deinde, postquam morte Aesculapius absumtus erat, quumque nemo adesset, cuius eadem arte, eadem felicitate homines morbis quibuscunque et adeo gravissimis liberarentur, hominum, opinor, tam gratus animus, quam superstitio id effecit, ut dignus putaretur Aesculapius, qui in posterum divino honore afficeretur, et omnino in deorum poneretur numero. — Aesculapii ex Machaone nepotes, quum e Thessalia in Peloponnesum demigrassent, Alexandrem prope Sicyonem, Sphyrum Argis fanum avo extruxisse, Pausanias narrat (II, 11. et II, 23). — Hercules, quum Aesculapius eum a vulnere, quod in pugna contra Hippocoontem acceperat, sanasset, templum Aesculapio dedicavit in via, quae Amyclis Therapnem ducit. (Pausan. III, 19.) Denique in edito iuxta Alpheum loco Demaenetus, cuius memoriam, nisi quod Pausanias (VII, 20.) nomen eius habet, antiquitas absorpsit, Aesculapii aedem aedificavit.

Varias variorum scriptorum de Aesculapio fabulosas congerendo narrationes, quum nulla earum ipsam illius naturam immutet, merito mihi videor abstinere. Quid autem pluribus opus est, quibus comprobetur, Epidaurios circa id tempus, ad quod modo historiam persecutus sum, Aescu-

⁶⁾ Apud Homerum *Odyss.* XIX, 457. Autolyçi filii Ulyssis vulnere medentur, dum *ἐπανδῆ δ' αἷμα κελαινὸν ἔσχεθον*. Cf. *Iliad.* XV, 393.

lapium adscivisse deum medicum? — Sed haec adhuc quaestio remanet, num ante Aesculapium adscitum alius cuiusdam numinis iatrici cultus, quamquam antiquitatis obrutus caligine, apud Epidaurios invenitur; quae res fieri potest, ut ad Aesculapii colendi modum, quem infra cognoscemus, recte explicandum haud minimum afferat momenti. Vide, quid tam ex eis, quae alii ante me animadverterunt, quam quae ipse observavi, coniectura mihi assequi contigerit.

Phoenicum de deorum natura opiniones a Sanchuniathone memoriae traditas Eusebius (praepar. evangel. pag. 33—42. edit. Fr. Vigeri, Col. 1688) servavit, verum, quod bene notandum, non ex ipso Sanchuniathone, sed ex Philone Byblio, qui Sanchuniathonis verba Graeca expressit lingua, et sparsim, quod neminem probe in antiquitate versatum fugere potest, Graecarum rerum atque personarum significationes immiscuit. Apud Eusebium igitur (l. I. p. 39.) commemorantur *οἱ ἐπὶ τῶν Σιδόνων παῖδες Κάβειροι, καὶ ὕγδοος αὐτῶν ἀδελφὸς Ἀσκληπιὸς*. Et p. 37. legitur: *Σιδόνω δὲ τῷ λεγομένῳ δικαίῳ μία τῶν Τιτανίδων συνέλθοῦσα γεννᾷ τὸν Ἀσκληπιόν*. Ex Cabiris autem illis, quorum octavus Aesculapius dicitur, procreati sunt liberi, qui non herbas modo, sed etiam venenatorum morsuum curationem et cantiones invenere (Euseb. l. I. p. 36.), quod eo minus praetermittendum censeo, quia, si legas, quae Herodotus (III, 37.) de Cabiris, quibus etiam nomen *Παταικοῖς*, narrat, dubitare possis, an Aesculapio deo medico cum hoc Cabirorum octavo fratre ulla fuerit coniunctio. Sed de Aesculapio, apud Phoenices numine iatrici locus maxime insignis legitur apud Pausaniam (VII, 23.). Hoc enim loco Pausanias narrat, Aegii in Aesculapii templo altercationem sibi fuisse cum homine Sidonio, qui inter Phoenices contenderit Aesculapii patrem Apollinem celebrari, matrem vero ei mortalem fuisse negarit. Aesculapium enim aliud nihil, quam aërem esse, ex quo bona valetudo tam homini, quam cunctis aliis animantibus existeret. Apollinem, qui Sol ipse sit, iure patrem Aesculapio perhiberi, quod accommodatum anni temporibus cursum

peragens aëri salubritatem impertiat; cett. — Quid de Apolline apud Phoenices Aesculapii patre censeam, quaeris? — Paucis proponam.

Numen illud, cui Pausaniae, et, ut puto, Philonis Byblii temporibus Aesculapii nomen inditum, olim *Esmun* est vocatum. Nam apud Photium (cod. 242. p. 573, edit. Hoerschel) traditur, Cabirorum octavum fuisse *Esmunem*, qui, quum inter deos relatus sit, *Paeanis* nomen ceperit. Phoenices et *Cares* autem ante *Minoem* regem omnes fere insulas Graecas tenuisse, ex *Thucydide* constat (I, 8.); *Cares* vero *Epidaurum* condidit, cui urbi, teste *Strabone* (l. VIII. c. 6. §. 15), olim *Epicarion* nomen fuit. Quare ad veritatem haec opinio proxime mihi videtur accedere, hoc tempore *Esmunis* cultum *Epidaurum* venisse. Porro notissima est historia illa de *Cadmo*, qui *Cadmeam* condiderit arcem. (*Pausan.* IX, 4. *Ovid. Metam.* III, 1. sq.) *Cadmum* vero et alios deos in patria sua cultos, et *Esmunem* in novam sedem transposuisse, tum per se admodum est verisimile, tum, quod *Pausanias* (IX, 10.) res *Thebaicas* recensens, *Apollinem* filium genuisse ait *Ismenium*, quo flumen *Thebas* praeterfluens nomen, et *Apollo* ipse *Ismenii* cognomentum acceperit, id partim nos de *Esmune* apud *Bocotos* quoque olim culto ⁷⁾ cogitare facit, partim postea *Graecos* deum medicum ex aliena terra acceptum eo magis sibi patrium statuisse fieri, quo artiore vinculo eum cum *Apolline* suo coniungerent, more haud insolito significare videtur.

Haec, quantum equidem investigare potui, unica *Esmunis* a *Graecis* olim a *Phoenicibus* recepti indicia sunt. Quam ob rem autem hic cultus nusquam clarius appareat, cur tempore postero omnino evanuerit, dubito, an ullo modo recte possit ostendi, nisi si quis omnem *Graecorum* religionem, et praesertim eam, quae ad *Apollinem* pertinet, uberius tractare co-

⁷⁾ De *Cabirorum* templo in urbe *Anthedone* vid. *Paus.* IX, 22; de *Cabirorum* sacris ante bellum illud notissimum *Thebaicum* et postea apud *Thebanos* factis vide eundem IX, 25.

netur. Hac enim, quam dixi, religione penitus perspecta quivis, opinor, persuasum sibi habebit, Graecos, si aliquo modo sibimet vellent constare, facere non potuisse, quin Aesculapium, quem Apollinis Hyperborei filium antiquissimae caeque sanctissimae fabulae nominabant, in Esmunis loco tanquam potissimum et postea unicum deum medicum colerent.⁸⁾

Iam quum nullo modo in dubium vocari possit, omni tempore Graecos cum Phoenicibus aut hac aut illa ratione fuisse coniunctos, facile cuivis erit probabile, Phoenices postea Aesculapium cum Apolline pro Esmune adscivisse; neque mihi hanc arridere opinionem nego, philosophicam illam, quam supra hominem istum Sidonium proferre vidimus, de Aesculapii Apollinisque natura sententiam primum e Graecia esse profectam; ea enim cum cetera circa Platonis praesertim et Aristotelis tempora inter Graecos pervulgata omnis theologiae tractandae ratione optime consentit; et ecce Pausanias loco supra laudato ita pergit: ἐγὼ δὲ ἀποδέχεσθαι μὲν τὰ εἰρημένα, οὐδὲν δέ τι Φοινίκων μᾶλλον ἢ καὶ Ἑλλήνων εἶναι τὸν λόγον ἔφη, ἐπεὶ καὶ ἐν Τιτάνῃ τῇ Σικωνίων τὸ αὐτὸ ἄγαλμα Ὑγείαν τε ὀνομάζεσθαι, καὶ παιδὶ εἶναι δῆλα, ὡς τὸν ἡλιακὸν δρόμον ἐπὶ γῆς ὑγίαν ποιοῦντα ἀνθρώποις.

C a p. IV.

In Valerii Maximi de Aesculapio Romam deportato narratione nulla res magis animum oculosque ad se convertit, quam quod sub anguis specie deus Romam venerit, et ex verbis hisce: *legati cultu anguis a peritis accepto*,

⁸⁾ Quaestionem de Apolline difficillimam esse, probe scio; tamen quae de hac re ex fontibus tam antiquis quam novis comperire mihi contigit, hoc loco proponerem, nisi eum, qui propositi sui immemor modo huc modo illuc excurrit, gravissima dignum reprehensione haberem.

laeti inde solverunt luce clarius appareat, draconum⁹⁾ partes, ut ita dicam, in huius dei cultu primas fuisse. Quae igitur res pluribus mihi est illustranda. Duplex erat draconum genus, quos Epidauriorum terra Aesculapio sacros alebat, alterum colore purpureo, alterum fulvo conspicuum¹⁰⁾ Aelianus (natur. animal. VIII, 12.) hunc anguem Epidaurium ὕφιν παρείαν vocat, eumque, qui colore fulvo sit rictuque lato, propter morsum non venenatum deorum benignissimo consecratum et ministrum esse dictum affirmat. Eundem hunc draconem Epidaurii, si quopiam deducere coloniam aut alicubi novum Aesculapio fanum consecrare vellent, secum tulerunt. Ego vero hoc loco facere non possum, quin Pausaniae de Aesculapii aede in oppido Epidaurio, cui Limerae cognomentum, prope Bocam in Laconibus extructa, brevem apponam narrationem, quia memorabilem cum illa Romanorum

⁹⁾ Servius ad Virg. Aen. II, 225.: *angues aquarum, serpentes terrarum, dracones templorum.* Inde colligo, angues vel serpentes in dei alicuius cultu adhibitos propria voce dracones esse appellatos; inepte autem quis dixerit, Valer. Maximum errasse, quum de angue, non de dracone locutus sit.

¹⁰⁾ Lectio vulgaris apud Pausaniam (II, 28) haec est: *Δράκοντες δὲ οἱ λοιποὶ καὶ ἕτερον γένος ἐς τὸ ξανθότερον ῥέποντες χροῖας ἱεροὶ μὲν τοῦ Ἀσκληπιοῦ νομίζονται, καὶ εἰσι ἀνθρώποις ἡμεροὶ τρέφει δὲ μόνῃ σφᾶς ἢ τῶν Ἐπιδαυρίων γῆ· τὸ δὲ αὐτὸ εὐρίσκω καὶ ἄλλαις χώραις συμβεβηκός.* Schneiderus in curis poster. ad Nicandri Theriaca, 439. p. 241. correxit: *Δράκοντες οἰνώποιοι*, quae mutatio, si aliquam loci natura poscit, sane tam facillima quam felicissima est. In lectione vulgari nullo modo esse acquiescendum puto; quid enim, quaeso, ἕτερον γένος nondum alio commemorato genere? Quid porro: *τρέφει δὲ μόνῃ σφᾶς ἢ τῶν Ἐπιδαυρίων γῆ*, quibus verbis quid Pausanias sibi velit, diserte indicat, quum mox de duobus animalium generibus, altero Libyae, altero Indiae proprio, et deinde de draconibus Megalauriis loquatur. Quum aut hae ipsae aut aliae, cur mutaverit, causae facile cuivis sese offerant, Schneidero nullam apponere placuit. Siebelis in sua Pausaniae editione Schneideri emendationem respuit, sed vulgarem lectionem male defendit.

deportatione similitudinem habet. — Legatos ab Epidauriis publice in Coon insulam ad Aesculapium missos, quum ad hanc agri Laconici oram appuissent, somniis quibusdam monitos sedem in eo loco statuisse memorant. Quin anguem etiam, quem secum Epidauro adduxerant, elapsum, non procul a mari se in cavernam demersisse. Quare et visis per quietem et eo prodigio adductos ibi constitisse et sibi oppidum communisse. Exstant, quo loco se e conspectu anguis eripuit, arae Aesculapio dedicatae inter sponte natas oleas. (Vide Pausan. III, 23.) — Athenis, quod non cumulandi causa me videbis monere, in cultu Aesculapii, ex Epidauro itidem arcessiti (Pausan II, 26), idem ille ὄφις παγέλας apparet. (Aristoph. Plutus v. 690.) Pluto, magni illius comici fabulae, omnem fere, quae ad nos pervenit, Aesculapii cultus, qualis illa aetate fuerit, notionem debemus, quare infra eam diligentius excutiam. Nunc transiturus ad Aegyptios ac Phoenices, qui anguibus divinam quandam tribuendi naturam eosque in morborum in templis curatione adhibendi Graecis auctores fuere, laudato illo Aristophanis loco scholiastae verba adnecto, quae haec sunt: ἐστὶ καὶ τὸ τοιοῦτον εἶδος καὶ ἐν τῇ Ἀλεξάνδρεια. — Alexandriae nobilissimum fuit Serapidis fanum (Pausan. I, 18), de cuius dei apud Aegyptios medici natura, simulque de incubationibus in templis eius medicinae causa factis B. Thorlacius (opusc. acad. tom. III. p. 127—156.) potissimum ex Aelio Aristide singularem conscripsit dissertationem, ex qua Serapidis cultum proxime ad Aesculapii cultus similitudinem accedere videas. Ibidem Thorlacius, ut par erat, de angue illo, cui nomen Kneph, quem apud Aegyptios summa religione esse cultum inter viros doctos satis constat, literate disputavit; sed fusius hanc materiam praeter alios, quorum libros inspicere mihi non licuisse aegre fero, tractaverunt Sprengelius (Pragmatische Geschichte der Medizin, tom. I. p. 64) et Boettigerus (Sprengels Beiträge zur Geschichte der Medizin fasc. III. p. 100.) Ego vero (ne longius a proposito degrediar, tantummodo libros, unde rem accuratius cognoverim, indicare

volui) omnibus, quae huc pertinent, diligenter comparatis, haud incaute mihi concludere videor, ὅτιν παρέϊαν illum in Serapidis cultu esse adhibitum; quod si nullo modo comprobari posset, forsitan aliquis de Alexandria et anguibz ibi inventis verba me facientem compellaret hisce: *Οὐδὲν πρὸς τὸν Ἀσκληπιὸν.*

De natura serpentium divina quas Aegyptii opiniones habuere, eas a Phoenicibus traditas acceperunt; quod pro certo affirmare audeo, quum ostendi possit, quae in rebus divinis his cum illis communia sunt, aut omnia aut certe plurima e Phoenicia ad Aegyptios transivisse. De Taauto, Hercule, Cabiris quin vera sint, quae dixi, nemo dubitabit. De ceteris alio loco disputandum est.

Quae vero Phoenicum de serpentium illa divina quadam natura fuerit opinio, cuius inventorem in ultima antiquitate Taautum fuisse praedicant, ipse ille Philo Byblius ex Sanchuniathone docet apud Eusebium (praeparatio evangelica, lib. I. cap. X. pag. 41.). Serpentes vi et copia spiritus abundare, eximia eos atque omnino mirabili celeritate ac summa agilitate esse praeditos, qua varias et multiplices corporis possint ostendere formas, diuturna eos vita esse, nec solum exuto senio iuvenescere, verum etiam maiora corporis simul et virium incrementa accipere, donec tandem confecto certo quodam annorum curriculo in se ipsos iterum dissolvantur; has fere, Philo ait, causas fuisse, cur hoc animalium genus in sacris pariter ac mysteriis adhiberi solitum sit. Deinde, postquam adeo de immortalitate eius verba fecit, ita pergit: *Φοίνικες δὲ αὐτὸ ἀγαθὸν δαίμονα καλοῦσι ὁμοίως καὶ Αἰγύπτιοι Κνήφ ὀνομάζουσι· προστιθέουσι δὲ αὐτῷ ἑρακος κεφαλὴν, καὶ διὰ τὸ πρακτικὸν τοῦ ἑρακος.* — Nullius generis, quantum comperi, inveniuntur testimonia, hoc monstrum ex accipitre et serpente mixtum ad Graecos integrum, ut ita dicam, pervenisse. Verum equidem, quum a Sprengelio (Pragmatische Geschichte der Medizin tom. I. pag. 205.) docear, ad eam me adductum esse opinionem, Graecos propter clarissimam huius

animantis oculorum aciem a Phoenicibus serpenti sacro illi accipitris caput inditum esse statuisse, et sic praeter serpentem accipitrem ipsum inter Aesculapii recepisse insignia.

Haec fere sunt, quae de serpentium in Aesculapii templis veneratione atque usu ex historia mihi videbantur adumbranda. Iam si hanc rem ita vellem tractare, ut ipse mihi aliquo modo satisfacerem, tam copiosam de Aesculapio oracula edente, curationem adhibente morbis, medicorum ordinis antistite, de serpentium natura, quam varia sit illa et quibus rationibus hac in re respicienda, disputandi materiam se mihi praebituram esse intelligo, ut me, quamvis invitum, ab omni hac quaestione melius abstinere putem.

Romanos autem, (hoc enim liceat addere) quod ad causas, cur serpentes Aesculapio sacri habeantur, attinet, ab una tantum parte veritatem opinione assecutos esse, e Festi atque Horatii locis quibusdam forsitan colligas. Festus sub voce *in insula* (edit. Daceri pag. 180. sq.) haec habet: *Eiusdem (Aesculapii) tutelae esse draconem, quod vigilantissimum sit animal; quae res ad tuendam valetudinem aegroti maxime apta est.* Ipsa grammatica, quam vocant, verborum constructio docet, Festum vulgarem hominum opinionem referre, eique ipsum assentire. Altero loco (pag. 124, s. v. *draco*) haec leguntur: *dracones dicti ἀπὸ τοῦ δράζειν, quod est videre; clarissimam enim dicuntur habere oculorum aciem, ideoque Aesculapio attribuuntur.* Horatius autem, Sermon. I, 3. v. 26, interrogat:

*Cur in amicorum vitis tam cernis acutum,
Quam aquila aut serpens Epidaurius?*

Qui locus non bono sensu solum, sed omni quoque vi satirica destitutus foret, nisi illius aetatis homines in Aesculapii dracone insignem illam, quam Festus laudavit, oculorum aciem respicere consuevissent.

C a p. V.

Venio nunc ad illustranda ea, quae ad ipsum Aesculapii Romam accessiti cultum attinent, ac primum mihi de loco, ubi sacra sint facta, tum de ritu, quem in colendo deo illo Romani observaverint, dicendum est.

Ex Valerii Maximi loco, quem totum supra exscripsi, comperimus, draconem sacrum illum, a legatis Epidauro deportatum, in insulam, ubi templum Aesculapio dedicatum esse, Valerius ait, transnavisse; idem quod Livius in epitome libri XI narrat: *eo (dracone) in insulam Tiberis egresso, eodem loco sedes Aesculapio consecrata est.* — Insula illa Tiberina (hoc enim nomen tulit) olim post Tarquinium Superbum Roma expulsam orta est, quum, quia bona regia plebi diripienda erant data, desectam cum stramento segetem magna vis hominum fudisset in Tiberim, tenui fluentem aqua. *Insulam inde paullatim, ferunt, (sic Livius II, 5) et alius, quae fert temere flumen, eodem invecitis, factam; postea credo additas moles, manuque adiutum, ut tam emmens area firmaque templis quoque ac porficibus sustinendis esset.* — Tribus verbis Ovidius (Metam. XV, 740) insulae formam descripsit:

— — — *laterumque a parte duorum*

Porrigit aequales media tellure lacertos.

Quis vero nostrum non miretur nimiam illam Romanorum credulitatem, quibus persuasum videtur fuisse, anguem sponte navi relicta in insulam transnavisse Tiberinam¹¹⁾.

¹¹⁾ Neminem puto hodie sibi persuasurum esse, sine ulla adhibita arte serpentem Epidaurium, quum legati prope Antium appulissent, in Aesculapii, ut Valerius Maximus narrat, templum, quod in hac urbe fuit, se contulisse, et per tres dies ibi commoratum navem rursus conscendisse. Idem Ovidius (Metam. XV, 722.) tradit, praeterquam quod templum parentis eum inisse ait. Recte ad hunc Ovidii locum Gierigius adnotat: *parum credibile, quod Valerius Maximus indicat, Aesculapium iam tum cultum esse ab Antiatibus.*

Serpentes, Aesculapio sacros, a sacerdotibus cicuratos atque ut illi pro libitu iis uti possent condoceratos esse, quamquam nescio, an ullo loco scriptores veteres disertis verbis tradiderint, e multis tamen rebus ut certissimum licet colligere. Facile igitur suspicetur aliquis, unum fortasse e legatis in insulam descendisse et esca proposita aut alia quacunque arte anguem in hunc locum allecasse. In quam opinionem me quidem procliviorum facit, quod non unius scriptoris auctoritate Romanos certo quodam consilio hanc ipsam insulam ad sacra Aesculapio facienda destinavisse, potest comprobari. Namque Plutarchus (Quaestiones Romanae, quaest. LXXXIV) interroganti, cur Romae Aesculapii fanum extra urbem sit aedificatum, respondet (mori suo vel interrogandi vel dubitandi formam adhibens): *πότιον οτι τὰς ἔξω διατριβὰς ὑγιεινότερας ἐνόμιζον εἶναι τῶν ἐν τῇ ἄστυ; καὶ γὰρ Ἕλληνας ἐν τόποις καθαροῖς καὶ ὑψηλοῖς ἐπιεικῶς ἰδρυμένα τὰ Ἀσκληπιῶνα ἔχουσι.* Quod Plutarchus de Graecis affirmat, re vera ita se habet. Apud Epidaurios Aesculapii templum ab urbe quinque millibus passuum distabat, (Val. Max. I. I.) et Aesculapii lucum circumquaque montes cingebant (Pausan. II, 27.). Epidaurus Limera, quam supra commemoravi, cum Aesculapii fano non procul a mari in eminenti loco surgebat, et prope illam aqua erat, cui Inus nomen inditum, quam Pausanias pluribus verbis descripsit (III, 23.). Aesculapii fanum ab Hercule dedicatum ad Eurotam flumen situm erat (Vid. Pausan. III, 19.). Eiusdem dei aedes a Demaeneto sacrata in edito iuxta Alpheum loco erecta fuerat. (Vid. Pausan. VI, 21.) A Pellene stadia circiter sexaginta eius fanum aberat, ubi *ἅματα ἀνθρώποις παρὰ τοῦ θεοῦ ἐγένετο· ὕδωρ δὲ* (sic Pausan. VII, 27.) *καὶ ἐνταῦθα ἀνέδην ἐξί, καὶ ἐπὶ τῇ μεγίστῃ τῶν πηγῶν τοῦ Ἀσκληπιοῦ τὸ ἄγαλμα ἴδονται.* Graecos in extruendis Aesculapio fanis loci naturam bene respexisse, satis ex his Pausaniae locis apparet¹²). Verum aquae, quae aut semper aut plerumque in

¹²) Plura, quae faciunt ad id comprobandum, Sprengelius congressit (Pragmatische Ge-

Aesculapii templorum vicinia, fuere, quum purissimae essent et vivae, non salubritati soli, sed certo quoque usui medico inserviebant. Itaque Festus (edit. Daceri pag. 180): *in insula, inquit, Aesculapio facta aedes fuit, quod aegroti a medicis aqua maxime sustententur.* De his verbis vide, quae infra disserui. Plura de hoc loco si nunc dicere vellem, aut rerum, de quibus disputandum est, ordinem turbarem, aut crambe mihi repetita foret danda. Haec igitur hactenus. Iam de ritu.

Quae vero ad cognoscendum Aesculapii apud Romanos colendi ritum afferri possunt, mutila dubiaque debent esse, quum vix ulla huius rei testimonia ex antiquitate ad nos pervenerint. Videamus igitur, quid nobis, scriptorum locis ad rem nostram pertinentibus cum prudentia quadam usuris, coniectura liceat assequi.

Valerius Maximus (l. I.) legatos, antequam Romam Aesculapii signo revertissent, a peritis anguis cultum accepisse ait. Scriptor ille, quod quidem pro summa, quam nemo non in eo animadvertit, religiosa credulitate, ipse minime sentit, nobis apertius indicat, eas, quas in Aesculapii templis mox reperiemus, dolosas sacerdotum praestigias in insulam Tiberinam esse translatas; atque huc quum accedat, quod plura sint, quae Romanis cum Epidauriis communia esse constat, (de aquae usu, de tabulis votivis, de Aesculapii imagine cogito,) vix puto esse dubitandum, quin, si de Epidauriorum cultu aliquid certi comperiamus, idem apud Romanos post Aesculapium adscitum per aliquod certe temporis spatium locum habuisse statuendum sit.

schichte der Medizin, tom. I, pag. 202. sq.); quamquam non ea, qua opus erat, diligentia locos classicos, quos ipse laudat, videtur inspexisse. Nam quae de templis duobus, altero prope Cyllenen, altero prope Lan in Laconia, habent, ea ex Pausaniae verbis nequaquam liquent.

Iam ante cetera mihi ea res, quae totius Aesculapii cultus quasi summam continet, paullo uberius tractanda est. Pausanias (II, 27.) haec habet: τῷ ναοῦ ἔστι πέραν, ἔνθα οἱ ἔκται τοῦ θεοῦ καθείδουσιν: unde incubationem, quam Graeci ἐγκοίμησιν vocant, in hoc sicut in aliis Aesculapii templis usitatam fuisse patet. Quid sit cum incubatione, paucis indicabo. — Ab antiquissimis inde temporibus homines medicinae originem divinam esse censuerunt. Videantur de hac re disputantes, Sprengelius (Pragm. Gesch. d. Med. t. I.), Schulzsius, (historia medicinae), Meibomius, (de incubatione in fanis deorum) alii. Unde factum est, ut homines morborum curationem petitori deorum templa adirent, atque omnis medendi ars statim a cunabulis in sacrum fanorum ambitum se receperit. Id quod Isidorus (orig. IV, 3.) memorabili modo significat: *Postquam fulminis ictu Aesculapius interit, — — — ars simul cum auctore defecit, latuitque per annos paene quingentos usque ad tempora Persarum regis. Tunc eam ad lucem revocavit Hippocrates.* Ad quae Isidori verba Boettigerus, cui hunc locum debeo, (in libro: Beitrage zur Gesch. d. Med. von Kurt Sprengel, fasc. III. pag. 190.) haec adnotavit: *Wer sieht nicht, dass jenes Verschwinden und Verborgensein der Kunst den Zeitraum bezeichnet, wo die Medizin nur als Familien- und Ordensgeheimniss der Asclepiaden in den Hallen der Tempel verschlossen war, bis Hippocrates, selbst Asclepiade, ein Verräther am Orden ward, und, was geheime und mündliche Tradition gewesen war, nun aufschreiben und durch seine Schüler bekannt machen liess?*

Quod vero ad ipsum deos de morbis consulendi modum attinet, homines aut sua ipsorum superstitiosa moti opinione, aut a sacerdotibus adducti, aegrotos in dei alicuius sacellum intulerunt, atque eam, quam ibi curationem in somnis a deo significatam esse sibi persuadebant, summa religione adhibuerunt. De illa in omni antiquitate satis pervulgata opinione, per noctis quietem a diis, quae futura sint, hominibus quasi detegi, Cicero in libris de divinatione multa disseruit, quae si hoc loco vel bre-

vissime vellem indicare, nimis tamen longus esse deberem. Haec vero Tullii verba e libro primo digna sunt, quae ante cetera commemorentur: *Atque etiam, qui praerant Lacedaemoniis, non contenti vigilantibus curis in Pasiphaae fano, — — — somniandi causa incubabant, quia vera quietis oracula ducebant.* Atque insignis est Virgillii locus (Aeneid. VII, 87. sq.) de nymphae Albunae fano:

— — — *Huc dona sacerdos*
Quum tulit et caesarum ovium sub nocte silenti
Pellibus incubuit stratis, somnosque petivit,
Multa modis simulacra videt volitantia miris
Et varias audit voces fruiturque deorum
Colloquio.

Et Servius Honoratus ad hunc locum: *Incubare, inquit, dicuntur proprie hi, qui dormiunt ad accipienda responsa, unde est: ille incubat Iovi, id est, dormit in Capitolio, ut responsa possit accipere.*

Verum me in levissima huius rei adumbratione acquiescere opus esse intelligo. Quare id solum satis habeo monere, ad Aegyptiacas antiquitates et quidem ad ea sacra, quae in Serapidis atque Isis celebrabantur templis, esse redeundum, si quis in naturam atque historiam incubationum medicinae causa sacris locis factarum inquisiturus sit¹³).

¹³) Praeterea, si ego hanc rem, quamvis intempestive, copiosius tractare vellem, id tamen ante cetera me deterret, quod scio, quanta sit mea et ingenii et eruditionis mediocritas, ita ut nequaquam ad ea, quae viri docti plures de incubationibus prius scripserunt, me aliquid, quod aequè novum ac probabile sit, additurum esse, possim confidere. — Diligentiae specimen eximia Meibomius in libello dedit, quem nemine praeeunte de incubationibus in fanis deorum olim scripsit. (Helmstadiæ 1659.) — Birgeri Thorlacii dissertatio de somniis Serapicis, quamquam praecipue in eo versatur, ut doceat, quales secundo post Christum seculo incubationes illae fuerint, multa tamen habet, quae ad priora tempora illustranda valent. (Vide Thorlacii opu-

Nunc igitur ad Pausaniae verba revertamur: τοῦ νοῦ δὲ ἐστὶ πέραν, ἔνθα οἱ ἔκεται τοῦ θεοῦ καθέδουσαν. Qualis fuerit haec incubatio, et quo tandem ritu ab Epidauriis instituta, nusquam scriptor ille indicavit. Verum ex Aristophanis fabula, quae Plutus inscripta est, sacrum ritum, sacerdotum praestigiis plenum, qualis ille in Aesculapii fano Athenis fuerit, cognoscimus. At ne quis me, sacrorum Epidauriorum cognitionem ex Minervae urbe petiturum, temeritatis coarguat, Pausaniae me niti auctoritate profiteor. Is enim ait, testimonio multa sibi esse, omnem Aesculapii cultum ex Epidauro esse acceptum; nam et Athenienses initiorum diem unum, quem Aesculapio tribuant, Epidauria nuncupare, atque ab illo se die divinos honores habere, Aesculapio coepisse tradere. (Paus. II, 27.). Deinde, quatenus in hac re temporis ordo quoque respiciendus est, monuerim, Plutum fabulam, primum scriptam datamque Olympiadis XCII. anno quarto, post viginti annos a poeta retractatam et iterum esse doctam Olympiadis XCVII. anno quarto, i. e. a. Chr. 388,¹⁴⁾ atque Aesculapii cultum a Romanis Olympiadis CXXI. anno primo, i. e. a. Chr. 292 adscitum esse. Ceterum Aristophanis loco utor, non quo ipse Epidaurius ritus, et ita Romanus quoque nobis significetur, sed quo Aesculapii consulendi et aegrotos in templis eius tractandi modus, hac quasi imagine vividiore proposita, melius cognoscatur.

scula academica tom. I. pag. 125—156.) — Minime in re nostra negligendus est Antonius van Dale de oraculis veterum ethnicorum (Amstelod. 1700), qui libri sui capite XI. (pag. 236—257.) de insomniis disseruit. Paene miratus sum, quod in libro amplissimo ne verbum quidem de insula Tiberina legerim. — Miram denique animi delectationem percepi e Fr. Aug. Wolfii disputatione, quae inscribitur: *Beiträge zur Geschichte des Somnambulismus aus dem Alterthume* (Vermischte Schriften und Aufsätze. Halle 1802. pag. 382.—430.)

¹⁴⁾ Vide Francisci Ritteri dissertationem de Aristophanis Pluto, pag. 46.

Pluti fabulae pars, quae diligentius mihi excutienda est a versu 650, usque ad versum 741 pertinet; est colloquium Carionis servi cum muliere quadam, cui ille narrat, quo modo Plutus daemon in Aesculapii templo oculorum lumine donatus sit. Quae in hac narratione a poeta deridendi praestigiosi ritus causa immixta sunt, ea facile quisque ab iis, quae ad veritatem sunt exposita, discernet.

Ego iam ex Aristophane, missis rebus subsecivis, ritum narrabo. — Quum primum Carion cum Pluto ad deum venisset, daemonem illum lavandum ad mare deduxit, quo facto sacrum templi ambitum ingressus, popano et prothymate, quae igni concremarentur, in ara positus, Plutum prostravit (*κατέκλιε*), et ipse cum sociis iuxta eum in stramentis (*στρώμασι*) recubuit. Praeter hos in eodem loco plures variis affecti morbis recte (*ὥσπερ εἰκόσ*) recubuerant; inter eos Neoclidus, caecus. Deinde sacrorum minister (*πρόσπολος*) corona laurea ornatus, luminibus extinctis, recubantes, si quid strepitus animadverterint, silere iubet, et tum mensam sacram, in qua *φθοῖς καὶ ἰσχάδες*, id est liba rotunda et ficus aridae, deo consecrata erant, et aras ex ordine ambit. His peractis deus ipse, comitantibus Iaso atque Panacea (filiabus), ex fani adyto prodit, qui, postquam aegrotos in orbem visitavit, morbumque uniuscuiusque diligenter examinavit, a puero quodam pistillo cistulaeque oblatis, ad Neoclidis caecitatem se accingit sanandam: tribus igitur allii sativi tuberibus in mortario contritis, iisque succo silphii scillaque maritima admixtis et adperso aceto, collyrium parat, quod palpebris antea, ut maiorem Neoclidi dolorem afferat, intortis illinit. Tum ad Plutum conversus, contrectato eius capite, palpebras daemonis mundo lintecolo abstergit. Quo facto Panacea velamine purpureo Pluti caput totamque faciem tegit; iamque deus stridentem ore sonitum emittit (*ἐπίπτυσεν*), et ecce, duo dracones (*ὄφεις παρειαί*) ex adyto emicant, et supter purpureum illud tegimen illapsi palpebras caeci lambunt; atque Plutus,

minimo temporis spatio intermisso, oculorum lumine donatus surgit; deus vero cum draconibus in templi adytum se recipit.

Iam de singulis, quae in narratione occurrunt, pauca disputabo. — Aesculapii templum, Athenis in acropoleos parte meridionali situm, fontem habebat, cuius rei testis est Pausanias in Atticis (I, 21. 7.); neque alia huius dei aedes mari proquinqua usquam memoratur; quare miror, Boettigerum (Sprengels Beiträge z. Gesch. d. Med. p. 175) de Aesculapii fano prope Athenas locutum esse. Sed difficultatem, opinor, quam vir doctus ille in hoc Pluti loco vidit:

*Ὄς γὰρ τάχιστ' ἀφικόμεθα πρὸς τὸν θεόν,
ἄγοντες ἄνδρα τότε μὲν ἀθλιώτατον,
νῦν δ', εἴ τιν' ἄλλον μακάριον κεύδαίμονα,
πρῶτον μὲν αὐτὸν ἐπὶ θάλατταν ἤγομεν.*

haud aliter, quam hypothese ista facta expediendam putavit. Verum si ea, quae paucis interiectis versibus sequuntur, respicere voluisset, videre debebat, Carionem ceterosque cum Pluto, quum dei aedem ingressi, quid sibi iam de Pluto faciendum sit, quaesissent, oraculo ab Aesculapio accepto, in ipso mari Plutum loturos fanum reliquisse, atque sacro hoc negotio peracto, altera vice dei medici sedem petisse. De oraculo, quo Carion ad mare Plutum deducere iussus sit, poeta, quia tum quisque, non nisi hoc accepto sanationis initium fieri, sciebat, nullam mentionem fecit. Quod vero propter maximam illam maris et Aesculapii fani distantiam plurimum temporis in lotionem consumendum erat, id neminem gravius offendet, qui comediae antiquae, quam dicunt, oeconomiam paullo interius cognovit.

Ceterum ut lavarentur aegroti, antequam deum consulturi incubarent, in omnibus Aesculapii templis sacra instituta videntur praecepisse. Epidauri vero non minus, quam ceteris locis in usu fuisse lotiones, haud temere colligas e Pausaniae verbis (II, 27. §. 6. et 7.). Praeterea vix est, quod moneam, aegrotos non minus aqua fluviali quam maritima ad lavan-

dum usos fuisse; hoc enim vel inde patet, quod Aesculapii templa pleraque in fluviorum ripis sita erant. — Aelio Aristidi (seculo p. Chr. secundo) interroganti, utrum maritimae an fluvialis sit usus praestantior, Aesculapius respondet, fluvialem praestare. Orat. I. pag. 487. — Sed nescio, an calida quoque usi sint, et quidem ad bibendum; nam Xenophon in Socr. Mem. III, 13. 5. haec habet: *πότερον δὲ τὸ παρὰ σοὶ ὕδωρ θερμότερον πίνειν ἔστιν, ἢ τὸ ἐν Ἀσκληπιοῦ.* — Sed quum huic rei, quantum scio, nulla alia testimonia certiora afferant fidem, cave ne Festi loco, quem supra citavi, nimiam tribuas auctoritatem. Nam Festus quum diceret: *in insula Aesculapii aedes facta fuit, quod aegroti a medicis aqua maxime sustententur*, non minus lotiones illas, quam aquae potionem indicare potuit. Restat, ut tribus verbis dicam, in ultima antiquitate hominibus fuisse opinionem, lotiones illas solius expiationis causa, quibus divino oraculo digni redderentur, fieri; qua opinione sensim abiecta, homines sibi persuasisse, illas partem esse curationis, quam medici, i. e. dei ministri, morbis in deorum fanis adhiberent. Demonstratione, quae longior quam difficilior foret, iure mihi videor abstinere.

Πόπανα καὶ προθύματα in ara, igni concremanda, Aesculapio consecrata, et *φθοῖς καὶ ἰσχάδες* in mensis sacris posita me commonent, ut aliqua de sacrificiis verba faciam. Pausanias (X, 32.) de Tithorensibus, multa cum religione Aesculapium colentibus: *θύειν αὐτῶ, ἰνquit, τὰ πάντα ὁμοίως νομίζουσιν, πλὴν αἰγῶν.* Quis non intelligat, Pausaniam (constat enim deorum cuique certas quasdam res ex institutis sacras fuisse) de iis omnibus, quae Aesculapio sacrificari fas erat, cogitasse, excepisse autem capras. Verum caprae quoque sacrae erant; nam alio loco (II, 27.) Cyrenaicos, qui Aesculapii cultum ab Epidauriis acceperint, capras illi mactare affirmat, quod ab Epidauriis traditum non fuerit. Igitur in templo Epidaurio, et, quantum licet suspicari, Romae capras mactare nefas fuit. — Gallum gallinaceum Aesculapio sacrum fuisse, notissimum est ex Phaedone Platonis (pag. 118. A, ed. Stephani). Gallinae in insula Tiberina immolabantur. (Festus pag. 180, ed. Daceri.)

Aegrotos in Aesculapii templis, ut per noctis quietem oracula de morborum remediis a deo acciperent, incubavisse, ex Aristophanis Pluto nequaquam liquet. Verum Romae in Aesculapii templo finito bello Punico secundo aegrotos per insomnia morbi curationem sibi indicatum, aut, ut ex Fr. Aug. Wolfii sententia loquar, ipsam curationem sibi factum iri, speravisse, testis est Plautus in curculione (act. I. scen. I. v. 61.):

— — *hic leno aegrotus incubat*

In Aesculapü fano.

(Cf. act. II. scen. II. v. 10.)

Atque Aelius Aristides, qui per decennium gravi morbo affectus varia in variis terris Aesculapii templa visitavit, ipse in *ἑροῖς λόγοις* suis incubanti sibi multifaria remedia esse demonstrata praedicat. (Vide Thorlacium I. I. pag. 139. 141. 147.) Optimam vero rei cognitionem percipies e quatuor tabellis votivis, quas infra producam.

Quam multum in omni hac re et praecipue in interpretandis somniis templi cuiusque ministrorum (*νεωκόρων*) arbitrio concessum fuerit, multis exemplis doceri potest. Brevitatis causa ea tantum afferam, quae Strabo (lib. XIV. c. 15. §. 44. pag. 580, ed. Tzschucke) de aegrotis in antrō Charoneo, in Plutonis et Proserpinae templi vicinia sito, incubantibus narrat: *Λέγουσι δὴ καὶ τοῖς νοσώδεις καὶ προσέχοντας ταῖς τῶν θεῶν τούτων θεραπέαις φοιτᾶν ἐκίσει καὶ διατιᾶσθαι ἐν τῇ κόμῃ πλῆσιον τοῦ ἄντρου παρὰ τοῖς ἐμπείροισι τῶν ἱερέων, οἱ ἐγκοιμῶνται τε ὑπὲρ αὐτῶν καὶ διατάττουσιν ἐκ τῶν ὀνείρων τὰς θεραπέιας. — Ἔστι δ' ὅτε καὶ ἰδίους ἐννυμίοις οἱ νοσηλεύμενοί προσέχουσι, μυσταγωγοῖς δ' ὄμωσ καὶ συμβούλοις ἐκείνοις χρῶνται ὡς ἔν ἱερεῦσι. — Similes atque etiam maligniores in Aesculapii templis Aelio Aristidi sacerdotes fecisse ludos, ipse ille in orationibus suis libere profiteretur. Vide Thorlacium pag. 139. et alibi. Iam si quis censeat, hoc loco mihi docendum esse, quibus tandem artibus sacerdotes illi id effecerint, ut aegroti talia incubantes somnia cernerent, qualia eos cernere mirum quan-*

tum illorum interesse debebat: quia me, si ipse ad hanc rem recte adductis testimoniis exponendam me accingerem, huc illuc quasi cursitantem ab insula Tiberina iusto longius aberraturum esse intelligo, veniam potius peto, si Ruhnkenium vices meas obire patiar. Is enim in Timaei lexico Platónico s. v. ἐξηγητής: *Habebant, inquit, exegetarum, laborantes in aede circumducentium; et sanationes miraculosos verbose exponentium, narrationes habebant praescriptae precum formulae et cantica, decubitus in pelle arietina, lucubratio, ieiunia, templi subita clausio vel subita et cum ambitiosa magnificentia coniuncta apertio; habebant iussa in victu severitas, lotio, unctio, frictio, venae sectio, vomitio vel uteri laxatio; habebant omnino tota aegri per sacerdotes, neocoros, nutricios, aliosque mystice temperata tractatio aliquid, quod imaginationem vel maxime frigidam incitare et inflammare posset.*

Si aegroti in Aesculapii templis dei, ut putabant, beneficio sanitatem recepissent, grato animo adducti pilas aut tabulas consecrare solebant, quibus nomina eorum, morbi, quo laboraverant, genus, et curationis ratio incisa erant. Multae huiusmodi pilae prope templum Epidaurium priscis temporibus steterunt, e quibus sex Pausaniae aetate reliquae fuerunt. (Pausan. II, 27. 3.) Eundem morem in Co insula et Triccae Thessalorum fuisse, testis est Strabo lib. VIII. Hanc rem ad morbi cuiusque remediorum cognitionem in Aesclepiadarum ordine divulgandam propagandamque et ita ad ipsam medendi artem paulatim excolendam multum valuisse per se liquet; atque in medicinae historia ea non minimum momenti debet habere. Diserte autem Strabo (l. XIV. c. 2. §. 19, edit. Tzschucke) narrat: *Φασὶ δ' Ἰπποκράτην μάλιστα ἐκ τῶν ἀναγκαιμένων ἐνταῦθα θεραπειῶν γυμνάσασθαι τὰ περὶ τὰς διαίτας.* Iacobus Spohnius in miscellaneis erud. antiq. (pag. 132. Lugd. 1685) tabulam votivam Aesculapio dedicatam memoriae prodidit. Scripta est dialecto dorica, quod Epidauri usitatum fuisse, Pausanias ait loco laudato. — Aeschinis oratoris tetrastichon, quod ille, quum ab Aesculapio ulcere malo liberatus esset, in huius dei honorem scripsit,

Brunckius habet in analectis (vol. I. pag. 176.). Longe vero dignissima, quae commemoretur, neque in re nostra praetermittenda tabula est marmorea, olim in insula Tiberina inventa, Ioannis Georgi Graevii aetate apud Bernardinum Maffaeum Cardinalem adservata, qua inscriptiones illius generis quatuor continentur. Ex tabula marmorea aeri incisae sunt, et inveniuntur in Gruteri Corpore inscriptionum. Descripsi illas, literarum forma apud nos vulgari adhibita adiectaque interpunctione.

I.

ΑΥΤΑΙΣ ΤΑΙΣ ΗΜΕΡΑΙΣ ΓΑΙΩι ΤΙΝΙ ΤΥΦΛΩι ΕΧΡΗ-
ΜΑΤΙΣΕΝ, ΕΛΘΕΙΝ ΕΠ^(1 ΤΟ) ΙΕΡΟΝΒΗΜΑ ΚΑΙ ΠΡΟΣ-
ΚΥΝΗΣΑΙ, ΕΙΣΑ^(Τ) ΑΠΟ ΤΟΥ ΔΕΞΙΟΥ ΕΛΘΕΙΝ ΕΠΙ ΤΟ
ΑΡΙΣΤΕΡΟΝ, ΚΑΙ ΘΕΙΝΑΙ ΤΟΥΣ ΠΕΝΤΕ ΔΑΚΤΥΛΟΥΣ
ΕΠΛΑΝΩ ΤΟΥ ΒΗΜΑΤΟΣ, ΚΑΙ ΛΡΑΙ ΤΗΝ ΧΕΙΡΑ ΚΑΙ
ΕΠΙΘΕΙΝΑΙ ΕΠΙ ΤΟΥΣ ΙΔΙΟΥΣ ΟΦΘΑΛΜΟΥΣ. ΚΑΙ
ΟΡΘΟΝ ΑΝΕΒΛΕΨΕ, ΤΟΥ ΔΗΜΟΥ ΠΑΡΕΣΤΩΤΟΣ ΚΑΙ
ΣΥΓΧΑΙΡΟΜΕΝΟΥ, ΟΤΙ ΖΩΣΑΙ ΑΡΕΤΑΙ ΕΓΕΝΟΝΤΟ
ΕΠΙ ΤΟΥ ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΗΜΩΝ ΑΝΤΟΝΙΝΟΥ.

II.

ΛΟΥΚΙΟΥ*) ΠΛΕΥΡΙΤΙΚΩι ΚΑΙ ΑΦΗΛΠΙΣΜΕΝΩι ΑΠΟ
ΠΑΝΤΟΣ ΑΝΘΡΩΠΟΥ ΕΧΡΗΜΑΤΙΣΕΝ Ο ΘΕΟΣ, ΕΛ-

*) aut mendum descriptoris aut subintelligendum *viñ.*

ΘΕΙΝ ΚΑΙ ΕΚ ΤΟΥ ΤΡΙΒΩΜΟΥ ΛΙΡΑΙ ΤΕΦΡΑΝ ΚΑΙ
ΜΕΤ ΟΙΝΟΥ ΑΝΑΦΥΡΑΣΑΙ, ΚΑΙ ΕΠΙΘΕΙΝΑΙ ΕΠΙ ΤΟ
ΠΛΕΥΡΟΝ· ΚΑΙ ΕΣΩΘΗ, ΚΑΙ ΔΗΜΟΣΙΑΙ ΕΥΧΑΡΙΣΤΗ-
ΣΕΝ ΤΩι ΘΕΩι, ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ ΣΥΝΕΧΑΡΗ ΑΥΤΩι.

III.

ΑΙΜΑ ΑΝΑΦΕΡΟΝΤΙ ΙΟΥΛΙΑΝΩι, ΑΦΗΛΠΙΣΜΕΝΩι
ΑΠΟ ΠΑΝΤΟΣ ΑΝΘΡΩΠΟΥ, ΕΧΡΗΜΑΤΙΣΕΝ Ο ΘΕΟΣ,
ΕΛΘΕΙΝ ΚΑΙ ΕΚ ΤΟΥ ΤΡΙΒΩΜΟΥ ΛΙΡΑΙ ΚΟΚΚΟΥΣ
ΣΤΡΟΒΙΛΟΥ, ΚΑΙ ΦΑΓΕΙΝ ΜΕΤΑ ΜΕΛΙΤΟΣ ΕΠΙ ΤΡΕΙΣ
ΗΜΕΡΑΣ· ΚΑΙ ΕΣΩΘΗ, ΚΑΙ ΕΛΘΩΝ ΔΗΜΟΣΙΑΙ ΕΥΧΑ-
ΡΙΣΤΗΣΕΝ ΕΜΠΡΟΣΘΕΝ ΤΟΥ ΔΗΜΟΥ.

IV.

ΟΥΑΛΕΠΙΩι ΑΠΡΩι ΣΤΡΑΤΙΩΤΗι ΤΥΦΛΩι ΕΧΡΗΜΑ-
ΤΙΣΕΝ Ο ΘΕΟΣ, ΕΛΘΕΙΝ ΚΑΙ ΛΑΒΕΙΝ ΑΙΜΑ ΕΚ ΑΛΕΚ-
ΤΡΥΟΝΟΣ ΛΕΥΚΟΥ ΜΕΤΑ ΜΕΛΙΤΟΣ, ΚΑΙ ΕΠΙ ΤΡΕΙΣ
ΗΜΕΡΑΣ ΕΠΙΧΡΙΣΑΙ ΕΠΙ ΤΟΥΣ ΟΦΘΑΛΜΟΥΣ. ΚΑΙ
ΑΝΕΒΛΕΨΕ, ΚΑΙ ΕΛΗΛΥΘΕΝ ΚΑΙ ΕΥΧΑΡΙΣΤΗΣΕΝ
ΔΗΜΟΣΙΑΙ ΤΩι ΘΕΩι.

Si quis commentarium sibi dari cupiat de iis, quae in hac tabula votiva a medicis sunt interpretanda, adest Hundertmarkii liber de incrementis artis medicae per expositionem aegrotorum in vias publicas et templa. Lipsiae 1749. 4.

Incertum est, utrum regnante Antonino Pio, an Marco Aurelio Antonino Philosopho hae inscriptiones factae sint; quam dubitationem Fr. Aug. Wolfius se tollere posse negat. Equidem illa Aesculapii oracula non ante annum a. Chr. CLX. edita esse, tibi persuaserim. Nam mensibus aestivis anni CLX Aelius Aristides Romae commorabatur*), quo ipso tempore gravibus se vexatum esse doloribus in oratione I. queritur. Vix, opinor, quisquam dubitabit, quin homo ille, quem per decem annos quibuscunque sacerdotum tam Serapidis quam Aesculapii praestigiis totum se dedidisse constat, in insula Tiberina morbi depellendi periculum fecisset, si, antequam ille Romam venit, aut, ipso in hac urbe commorante, istae, quas modo vidimus, morborum curationes plane mirabiles in Aesculapii fano fuissent factae. Ipse vero (l. l.) se Romam, quum nulla res sibi salutis spem ostenderet, reliquisse ait. Anno proxime sequenti Antoninus Pius vita decessit.

Reliquum est, ut de Aesculapii signo quaedam afferam, sed pauca; uberius enim de variis dei illius imaginem exprimendi rationibus quaestio re nunc a me tractata aliena videtur esse. Epidauriam eius imaginem describit Pausanias (II, 27.): In solio sedens altera manu baculum tenebat, altera serpentis caput premebat, cane ad pedes iacente. — Festus loco saepius laudato de Aesculapii signo, quod in insula Tiberina fuit: *bacillum, inquit, habet nodosum, quod difficultatem significat artis; laurea coronatur, quod ea arbor plurimorum est remediorum. Sacerdotes olim, quum ad exercendas*

*) Vide dissertationem eruditionis plenam de Aelii Aristidis vita in Samuelis Iebii editione orationum Aristidis. (Paginae, quod incommodum est, non notatae sunt.)

praestigiosas artes serpentibus uterentur, baculum semiamputatis ramulis nodosum, quo facilius ei angues lubricis amplexibus inhaerent, adhibuisse, ac postea dei, cui se addixerant, simulacra tali baculo ornasse, tanto magis mihi videtur in causa fuisse, cur Aesculapio illud insigne datum sit, ut illa Festi interpretatio risum paene mihi moveat.

Laurea Aesculapius coronatus est, tam quia Apollinem patrem habet, cui laurum sacram fuisse constat, quam quod ipse oracula edit. Quam causam Festus affert, ea inepta est. Quum vero priscis temporibus sacerdotes dei, cuius praeerant sacris, speciem imitarentur, (quod sexcentis ostendi potest exemplis) tam Apollinis, quam Aesculapii ministri laurea frontem redimierunt; et fieri nequit, quin *πρόσπολος* ille in fano Atheniensi nobis in mentem veniat.

Epidauri ad Aesculapii pedes canis iacet, haud dubie in memoriam canis illius, qui olim, capra Aesculapio infanti lac praebente, vigiliis egerat; si quidem ipsam hanc, quam capite tertio e Pausanio narravi, fabulam Epidaurii respexerunt, neque potius aliam, cuius Lactantius (divin. institut. I, 10.) mentionem facit his verbis: *Tarquitius ait, — — Aesculapium expositum a venatoribus, canino lacte nutritum; cett.* — Romani certe ad huius rei memoriam testandam canes aliquot in insula Tiberis alebant. Festus enim: *canes, inquit, adhibentur eius templo, quod is uberibus canis sit nutritus.*

C a p. VI.

Adverso casu accidit, ut nulla fere veterum scriptorum de Aesculapii fano Tiberino testimonia sint servata, e quibus paullo accuratius cognosci possit, in quem dei illius cultus per annorum decursum abierit, qualis morborum curationum facta sit mutatio, quo denique tempore cuiuscunque generis hominum superstitiosa credulitas sacerdotum adiuvere fraudulentiam desierit. (Vera enim et saluberrima illa medendi ars, quamvis diu in tem-

plis delituerat, inde ab Hippocrate palam et aperte exercebatur, neque unquam ea fuit, quae praestigiis commendanda esset.) — Oraculi Tiberini nostri historiam, qualis in tanta testimoniorum penuria componi potest, Boettigerus scripsit. (Beiträge zur Geschichte der Medizin von Kurt Sprengel. fasc. II.) Ego vero quum quo, maiori mihi curae fuerit, ut nova qualiacunque testimonia investigarem, eo magis a Boettigero oblatis quidam me additurum esse desperaverim: quae ille diligenter conscripsit, ea velut primis lineis designare constitui.

Quod scriptores Romani quasi consentientes Aesculapii oraculum silentio praetermiserunt, id nobis indicio debet esse, nunquam illud apud Romanos insignem aliquam auctoritatem esse assecutam. Primis Caesaribus regnantibus soli homines pauperrimi sanitatis recuperandae causa Aesculapii fanum adierunt; nam Suetonius (Claud. c. 25.) haec habet: *Quum quidam aegra et affecta mancipia in insula Aesculapii taedio medendi exponerent, omnes, qui exponerentur, liberos esse iussit, nec redire in ditonem domini, si convalescissent.* Deinde Antonino Pio et Marco Aurelio Philosopho Caesaribus, qui ad credulitatem nimis propensi et rebus miris supra modum dediti fuere, morborum curationes in insula Tiberina novum auctoritatis incrementum ceperunt; id quod prae ceteris tabula illa votiva testatur. — Postero tempore in insula illa, cui tunc insulae Lycaonicae nomen, nosocomium fuisse, e martyrologiis sacris patet. Doctrina autem christiana longe lateque divulgata, illa aegrotorum cura monachis tradita est. Et hodie etiam monachi ex ordine eorum, quibus voti religione obstrictis aegrotorum cura gerenda est, in insula Tiberina, quae nunc S. Bartolomeo vocatur, nosocomii administratores sunt; monachi vero illi S. Giovanni Colabita nuncupantur.
